



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 95. Quesnelistarum machinationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII.
A. C. 1712.

§. XCV.

Quesnelistarum molimina.

Postquam Cardinalis Noaillius rem serio Romæ agi compererat, ut ap- probationis olim datæ calumniam præ- verteret, suoque honori consuleret, nil aptius tutiusque fore censebat, quam si Quesneli librum prior ipse met dam- naret. Hoc ergo animi sui propositum quantocius Cardinali Tremolio mani- festavit, qui nil eorum prætermisit, quibus Cardinalem in sua sententia ro- boraret. Enimvero si bene cæptis ope- ris constantia non defuisset, Quesne- liana hydra unico iictu in Galliis pro- strata fuisset; cum enim tanti Viri exemplum ceteri omnes Franciæ Præ- sules certatim secuti fuissent, cessasset dissensio, Ecclesiæ & Regno in hanc us- que diem admodum funesta, nec fors Constitutio Pontificis publicam lucem aspexisset, ex cuius occasione tot nova dissidiorum semina progerminarunt: Ve- rum hanc felicitatem Ecclesiæ invide- bant Quesnelistæ, qui, cum post Noail- li revocationem sui Magistri librum absdubio ubique damnari probe pro- spicerent, omnes fraudum & stratage- matum fontes exauriebant, ut tam feralem declinarent tempestatem; præ-

Cc 2 primis

Dorsana.
Journal t. I.
pag. 30.



Sæc. XVIII. primis igitur P. Rolletus & Lachhauf.
A.C. 1712. seus iteratis literis Noaillium Cardi-

nalem fatigabant, referentes, rumo-
rem de promulganda Constitutione me-
rum esse Molinistarum commentum,
eo fine excogitatum, ut Cardinalem
Noaillium censuræ in Quesnelli librum
vibrandæ metu ad ejusdem damnatio-
nem adigerent, intima Pontificis sena-
tibi nota esse, eum a promulganda Con-
stitutione esse oppido alienum, ac non
raro ambiguis minime verbis decla-
rasse, ejusmodi Bullam nec Ecclesie
proficiam, nec Gallis acceptam fore.
Verum humanæ indolis stultitia est,
ut quicquid fieri desideramus, facta
esse certo credamus. Quare etiam
Noailius nec indubiis testimentiis, nec
argumentis evidentibus, nec publice
famæ fidem tribuens, rescripsit Trim-
lio Cardinali, sibi certa relatione con-
stare, quod conficto Constitutionis Ponti-
ficiae rumore sibi laquei pararentur, proin-
se a proscribendo libro sua approbatione
tuto longe alienum esse. Hoc strateg-
matis successu audaciores effecti ambo
hi Quesnellistæ, metum ipsi Pontifici
incutere tentabant, per Urbem spar-
gentes, certissimis testibus sibi explo-
ratum, perspectumque esse, Pontificis
Constitutionem in Galliis minime re-
ceptum iri. Nec his contenti erant

Ques-

Quesnelistæ, sed insuper Romæ divul- Sæc. XVIII.
A.C. 1712.
gabant, quod Ludovico Delphino jam fatis functo Quesnelianæ reflexiones caussa caderent, præcipuo eorum fau-
tore, & Constitutionis edendæ jurato
hoste invidia mortis sublato: Hæc ca-
lumnia, quamprimum ad Franciæ Re-
gis aures pervenerat, mox declaratio-
nem ab ipso Delphino factam typis edi,
& Parisiis divulgari jussit, eamque ad
Tremollium Cardinalem Romam trans-
misit, dato negotio, ut eam Pontifici
exhiberet, & per Urbem distrahi cu-
raret: *Jansenistæ enim, eorumque fauto-
res,* inquiebat Rex in suis literis ad
eundem Cardinalem datis, *Romæ Pon-
tificem captare satagunt, eidem insinuan-
tes, me quidem eis adversari, Bur-
gundiæ vero Ducem esse propitium,
ac quondam eorum fautorem fore. Ut
ergo hanc calumniam a se amoliretur Del-
phinus, veritatis ac Religionis studio com-
pulsus hanc suæ mentit declarationem sua
manu ante obitum suum exaravit, quam
tibi, ut summo Pontifici exhibeas, trans-
mitto. . . . Ad calcem vero hujus de-
clarationis Delphinus optime me in testem
advocavit, nulli enim melius quam mihi
compertum est, neminem unquam, præter
eum Delphinum magis sanæ doctrinæ studio-
sum, & magis ab omni novitatum umbra
remotum suisse, quapropter ejus morte in-*

C c 3 gentem

Sæc. XVIII. gentem jacturam passa est Ecclesia, qua
A. C. 1712. ardентissimo fidei defensore orbata fuit. Hoc
 Regis testimonio & Delphini declara-
 tione Pontifex de sublesta Quesnelista-
 rum fide convictus, in proscribendi
 Quesnelliani erroris proposito magis
 adhuc firmabatur.

§. XCVI.

*Parisi Senatus edictum contra im-
 pugnatam Delphini decla-
 rationem.*

Regio hoc testimonio Quesnelistæ suum
 strategma, dolumque non sine in-
 famia detectum, eversumque dolentes,
 in nova fraude consilium, opemque
 quærebant, ac præprimis publicis ty-
 pis libellum ediderunt, sub hoc titulo:
Reflexiones in scriptum quoddam sub titulo:
Declaratio Delphini ad Papam unacum de-
claratione P. Quesnelli ad eandem. Vix
 publicam lucem aspicerat infamis hic
 libellus, cum illico Guilielmus Fran-
 ciscus Joly de Fleury Regis Advocatus
 contra eum in Senatu Regio die deci-
 ma septima Junii peroraret, referens
 sibi venisse in manus aliquot abhinc die-
 bus novum libellum sine facultate edi-
 tum, qui spargitur in vulgus con-
 tra prohibitiones, regnique sanctiones,
 multis senatus decretis redintegratas,

atque